

PROLVSIO
QVA AD
ORATIVNCVLAS

QVAE AB
SEX BONAE SPEI ADOLESCENTIBVS
IN SCHOLA THOMANA

A. D. XX. APRIL. A. CIDI⁰CCXXXVI

RECITABVNTVR

AVDIENDAS

PATRONOS ET FAVTORES

QVAM POTEST HONORIFICENTISSIME INVITAT

RECTOR

IO. AVGVSTVS ERNESTI.



1736.

71036
1736

LEIP.
11

THE
ORATORIAL

IN
THE

OF



Saepe multumque audio, homines doctos et humaniorum in primis literarum amantes, de mira quae nunc est, paucitate eorum ambitiose conqueri, quibus non praecipua aliqua, sed mediocris elegantioris eruditionis laus tribui possit. Iam etsi praeclare scio, plerosque ista non nisi quodam intelligendi ambitu ductos iactare, qui in hoc literarum genere plurimorum apud nos inuasit animos; facile tamen ea omnia vere dici concedo. Sed si hanc nostrorum tantum temporum conditionem esse, aut, quoniam nulli tutius vident impuniusque eam obtrudi culpam posse, a scholis in primis, quod fere fieri intelligo, totam illam calamitatem repetendam arbitrantur; ignoscent mihi boni cetera et eruditi viri, si eos cum in tempora nostra et scholas subiniquos, tum in iis, quae nunc sunt, eius rei causis videndis, non satis acutos puto. Raro ea fuit humani generis felicitas, ut iisdem temporibus multi in eodem literarum ac scientiae genere excellent. Ac si quis forte extitit aliquando in aliquo genere praecipua laude insignis, plures fortasse ab ipso sunt ac ab aliis profecti, qui ad summam verae eruditionis gloriam recta via grassarentur; sed hi ipsi tamen perpauca. Octavius Ferrarius * cum in Academia Mediolanensi et Patauina humaniores literas septem et tri-

A 2

ginta

* Vid. eius Opera. varia p. 463. 464.



ginta annos cum summa laude, & incredibili iuuentutis concursu docuisset, ipse tamen, si, qui successor sibi e discipulis, quos natus erat, omnibus, fieri recte posset, animo reputaret, neminem fere sibi ex omni eo numero occurrere confessus est, quem Professoris eloquentiae et humaniorum literarum munere dignum ac nomine iudicaret, magnopereque se metuere, ne illud Roscii usurpare cogatur, qui se adhuc reperire discipulum, quem quidem probaret, potuisse dicebat neminem. Nemo ignorat, quanti adolescentum concursus ad C.S. Schurzfleischii. Oratoris & Philologi Vitembergensis, scholas sint per multos annos facti, in quibus per hominum in eo literarum genere maximorum vestigia ad eloquentiam iuvenes et criticam scientiam ducebantur; sed quam pauci inde prodierint, non modo qui graue illud oratoris et critici sustinerent nomen, sed in quorum scriptis disciplina Schurzfleischiana magnopere emineat, quis est in hoc genere vel parum versatus, quin sciat? Quod si verum est, quod audio, in ceteris etiam reipublicae eruditae ordinibus mira eorum inopia laborari, qui omnes artis suae numeros impleant, et scientiae magnitudine suscepti vim nominis atque amplitudinem adaequent, quod ipsum quoque commune huic aetati cum superioribus temporibus puto; non debet profecto ordini nostro paucitas illa obici, aut scholis inde contumelia quaeri et comparari. Non is ego quidem sum, qui nihil hic a scholarum magistris peccari contendam; sed partim cum iis, qui ante eos fuere, partim cum his, qui in Academiis ad humanitatem conformare iuueniles animos instituunt, eam culpam communicandam puto. Saepe memini, cum superiorum temporum scholas ab his praedicari audiui, qui praeterita laudando inuidiam facere praesentibus instituunt, saepe me, inquam, memini percontando intelligere, quicquid earum laudum fuit, id omne, non profectibus discentium, sed numero et aetati tribui. Atque id, mea quidem sententia, res ipsa loquitur. Nam si superioribus temporibus aut, qui scholis praecerant, ab humanioribus literis aliisque scientiis his, qui nunc sunt, instructiores erant, aut, qui discebant, maiores auferbant profectus; quomodo tandem accedit, vt in eorum hominum scriptis, pene omnibus, summa barbaries reperiat? Vna omnium



omnium maxime semper celebrata est in his terris Portensis schola, ex qua omnis ordinis docti, quidam etiam in nostris literis magni, prodire, atque inter hos is, quo se plurimum iactat, Graeuius criticorum sua aetate facile princeps. Neque ingenium homini defuerat, neque studium; fuit enim vtrumque summum. Relicta schola, in hac Academia nostra graece latineque, ut tum erant, doctissimis assiduus affuerat, etiam eo peruenisse omnibus videbatur, uti magna cum laude ipse humaniores docere literas posset. Quid ergo didicerat? ne primam quidem epistolam Ciceronis intelligere et recte interpretari. * Iam, quales ceteri fuerint, ab hoc vno facile disci potest. Sed ne quam nostrae aetati abstersam cupio maculam, eam superioribus temporibus adspargere velle videar; quae res in primis impediunt, quo minus, in tanta literarum luce et in omnium rerum, quibus ad summam eruditionem via munitur, tanta copia, paullo maior doctiorum in hoc genere prouentus sit, et quare illi ipsi, qui harum literarum singulari amore duci ac studio videntur, rarissime, quo contendunt, eo perueniant, paucis potius aperire suscipiam: non, quo me plus ceteris doctis hominibus in hoc genere videre existimem; sed ut, quos forte malus quidam abstulit in discendi studendique ratione error, corrigantur, aut, si nullus apud hos est correctioni relictus locus, his saltem caueatur, qui adhuc intactum a corruptelis ingenium habent, ne iisdem abripi se erroribus patiantur.

Ac primum quidem non dubium est, quin, quae res omni pene scientiarum generi grauissimam intulit plagam, ei nostri quoque fundi calamitas magnam partem debeat. Nam, ut est omne genus hominum a labore ad otium proclive et ignauiam; ita, cum quidam extitissent, qui omnem aetatem in compendiorum angustiis infelicitè contriuerant, eorum exemplo et auctoritate inducti iuuenes per eorundem compendiorum praecipitia immatura et ignaua agere studia coeperunt, paucissimique inuenti sunt, qui per omnia scientiae suae latifundia vagari, et omnem eius ambitum animo complecti sustinerent. Sed hoc a Philosophis &

A 3

Theo-

* Burm. Or. in Funere Graeuii hab. p. 563.



Theologis in primis exortum malum non, vbi coeperat, ibi confitit; sed tanquam contagione quadam humaniorum literarum trahere, primo cultores, ac paullo post doctores, coepit. Atque hinc nati sunt capitales illi Philologi et Critici, qui, tanquam vetricam porcinam, ita Philologos et Criticos vno spiritu inflare institunt, ac grandem illam Criticam, veluti Achillis arma, pueris induunt nascentibus. Itaque non amplius seuera lege proficere iuuenes, hoc est, ipsis antiquis auctoribus assidue legendis penitusque imbibendis ad eruditionem contendere, iubentur; quomodo enim, quam ipsi non calcare viam, tam asperam, tam anfractuofam, huius aliis ineundae auctores esse possent; sed vix duodecimo aetatis anno superato, et fabulis Phaedri ac Terentii nondum fatis, ne grammaticae quidem, nedum latine intellectis, ad Gruteri, Graeuii Gronouiique Thesauros aliosque de antiquitate libros, quasi vero pueris huiusmodi libri scripti sint, ad Criticos in veteres scriptores commentarios, ad numarios item auctores amandantur atque inde eruditionem petere docentur. Qua re, si incauti adolescentulorum corrumpuntur animi, non est profecto mirandum. Quid enim praestantius eis videri, quid doctius potest, quam posse in aequalium circulis Meurfiorum, Salmasiorum, Casaubonorum, Heinsiorum et cetera magna nomina ambitiose iactare, ad quae audita aut lecta non aequales modo, sed maiores etiam stupere solent, atque ita magnam de se eruditionis humanioris apud imperitos opinionem, quod fere fit, concitare? Neque ita deceptis indignandum puto; sed hi odio digni sunt, semitarii magistrilli, qui aut, in summa ignorantia, humaniorum literarum doctores se profitentur, aut, vt eo facilius inueniant, quibus quamuis parua mercedula locare operam possint, iuuenum siue ignauiae siue stultitiae velificandum putant, atque ita optima interdum ingenia corrumpunt.

Huic autem tumultuariae docendi discendique rationi, non dubium est, quin debeamus novos illos Antiquarios et Philologastros, qui nos quotidie nouis et doctissimis, si Diis placet, de antiquitate scriptis libellis donant, et sublimi sidera vertice ferire sibi videntur, certe non longe a Gronouiorum et Graeuiorum abesse



abesse gloria, ubi sumta aliqua, satis cognita doctioribus, ex antiquitate Romana aut Graeca materia, quicquid potuere, acerbissimas per omnes Thesauros et Lexica exactiones sat diu exercendo, et innumerabiles librorum indices misere fatigando cogere, (neque enim aliter ea sacra constare putant) eo aliquot plagulas impleuerunt, atque hos pannos rariorum et a magnis hominibus editorum librorum titulis, tanquam assutis splendentibus clavis, distinxere; parum pensi habentes, huiusmodi labori ab intelligentibus rerum, quoniam et ab hominibus in ipsis veteribus autoribus plane hospitiis proficisci potest, forte diligentiae aliquam, ingenii vero doctrinaeque nullam laudem tribui.* Sed perferri ista stultitia et vanitas concedique falsa opinione deceptis possit, nisi, quas sibi deberi putant, aut quibus subinde mactantur, laudibus ipsorum inflarentur animi et bonas horas male perdendo ab ipsorum auctorum veterum lectione, quo nihil pestilentius esse potest, auocarentur, atque adeo, relictis fontibus, turbidos riuulos vnice consecrari consuescerent. Videor mihi profecto saepe animaduertisse, atque, nisi perire mallet positum rubigine telum, demonstrare posse, ne primos quidem Liiii libros, ne dum alios antiquitatis studioso pernecessarios lectu veteres auctores, satis diligenter legisse, qui scriptis suis tantam apud nos gloriam consecuti sunt, ut praeclare mecum agi putarem, si eam ipse attingere possem. Quamquam non vereor, ne, si hoc federet, aut si quis mihi stomachum moueret, eodem modo breui inclarescere non possem, qui omnes eorum hominum artes ab illo tempore teneo, quo mihi quoque hac eundem via esse persuasum erat. Sed, ut externos taceam, Bergeros, Mascouios, Gesneros et his similes, atque adeo, quoniam, qui se non timere potest, alios frustra timet, me ipsum vereor. Theologiae quoque cultores quosdam simili laborare morbo intelligo, qui cum videant, quantum laudis ab illustrata literarum humaniorum luce Scriptura Sacra Grotii, Casauboni, Heinsii et pauci alii reportarint, idem sibi contendendum putant. Sed parum cogitant, diuinos illos homines ingenti flumine literarum
inun-

* Legant, si placet, Burm. praef. ad libr. de Vestigal. Veterum Rom.



inundatos ad eam rem accessisse, se vero tam desertos ab omnibus praefidiis et nudos eo adiacere animum, ut vnice sibi e Pricaeo, Raphelio, Alberto, Wolfio ceteris sapiendum sit, quorum se pennis tanquam de fabula graculi exornant. Venere subinde in manus in hoc genere scriptae dissertationes, in primisque ante hos duos annos nouae e Graeco auctore illustrandi Noui Testamenti causa collectae obseruationes tam pueriles me hercule et ieiunae, ut, si hoc esset Nouum Testamentum e profanis auctoribus illustrare, auderem, quamuis valde occupatus, spondere, singulis mensibus magna me huiusmodi obseruationum volumina esse scripturum.

Cum hoc autem rei literariae malo coniunctum est alterum atque eius plerumque causa, quod, qui has literas tractant, aut auctores Graecos Latinosque interpretantur, neque intelligunt, neque persuadere sibi patiuntur, quod Graeuium illum Traiectinum identidem inculcasse suis constat, summam et pene vnam ex auctoribus illis petendam vtilitatem esse, *ut sapere discamus*, eo cuncta referenda, in eo esse omnia. Et profecto, nisi haec vtilitas ab auctorum veterum lectione recte instituta proficeretur; non esset profecto, quare tot bonae horae in ea collocarentur. Saepe soleo admirari maiorum nostrorum sapientiam, qui adolescentulis primo, Latinam Graecamque linguam, quod per se parum est, tradi, deinde vero veteres Graecos Latinosque libros a summis sapientissimisque hominibus scriptos explicari voluerunt: non profecto hoc vno, quod nostris hominibus plerisque videtur, consilio, ut, quae verba latina probae notae, quibus formulis res quaeque enuncianda sit, discerent; quare enim non potius libellos Theologicos, aut de moribus a Christianis probabiliter scriptos proposuissent, quod hi aui sunt, qui ignari maiorum consilii Virgilios et Terentios Christianos, furfureos libellos, obtrudere Scholis voluerunt; neque ut de tricliniis possent, de theatris, de feruis, de lato clauo, ceterisque huius generis ambitiosos serere in circulis sermones aut libros scribere; quae enim praecipuae discantium parti inde speranda vtilitas? quo ergo tandem? hoc, si quid Graeuus vidit, vidit autem plurimum, ut, sapientissimorum elegantissimorumque



in omni et disciplinae et orationis genere hominum ab ineunte aetate adfueri et innutriti contubernio, sapientiae prudentiaeque praecepta ab iis imberemus, atque perspicuitatem, grauitatem, suauitatem, acumen, elegantiam, urbanitatem, leporemque in dicendo scribendoque atque in omni denique sermone et cum hominibus consuetudine, primo agnoscere et intelligere, deinde vero sensim etiam paullatimque imitari disceremus. Hoc consilio, quicquid post instauratas literas venustiorum et elegantiorum hominum fuit, veteres legisse, hanc utilitatem ab iis petiisse, atque etiam inde retulisse puto; cum hi contra, qui nihil, praeter verborum flosculos, pueriliter captant, et antiquis ritibus vnice inhiant, ingenium non modo ad sapientiam elegantiamque non acuunt, sed etiam hebetent et retundant. Atque id quidem, qui ab utroque hominum genere profecti sunt, libri luculenter demonstrant. Quid elegantius, quid venustius scriptis Erasmi, cuius mehercule solos dialogos, fremant licet omnes, dicam tamen, solos eos, inquam, ambitiosis antiquariorum nostrorum voluminibus ac mille Pitiscorum Lexicis non modo comparo, id enim parum esset, sed longe multumque antepono? Quid sapientius, quid facundius, vt de nostris tantum dicam, Melanchthone, Camerario, Buchnero, Schurzfleischio ceterisque superiorum temporum hominibus, quorum satis longum texere catalogum possem? Quid contra ieiunius oratione horum, qui minime id, quod diuini illi homines, in auctorum veterum lectione secuti sunt. Pessime profecto de iuuentute meriti sunt, et adhuc merentur, siue in Scholis, siue in Academiis, humanitatis magistri, qui, vt docti inprimisque eruditi videantur imperitae iuuentuti, posteaquam totidem verbis germanicis reddere latina, et, quid in formularum congeri horrea possit, docuere, dictandis doctis, si Diis placet, et multa antiquitate refertis commentariis, e Lexicis scilicet, Salmasianis, Cataubonianis, Gronouianis, Spanhemianis aliisque libris, misere compilatis tempus consumunt; nihil cogitantes, paullo post omnes eas chartas obscenis vsibus destinatum et amiciendo piperi aut herbae Nicotianae accendendae adhibitum iri. Quanto melius facerent iuuentutique consulerent, si maiorum consilium atque ad-



eo legum publicarum auctoritatem secuti, (in nostris enim legibus id salutariter prouisum est) post verborum curam et explicitis, quantum ad intelligendum auctorem, non ad ambitionem, opus est, hoc est, breuissime, antiquitatibus, ad artis regulas quaecunque exigent, et, quomodo acceptam materiam historicus illustrarit, orator perite tractando auxerit ornaritque, ostenderent, et quicquid gratiarum poetae artium in omni carminum genere habent, demonstrarent, denique, id quod in primis, etsi difficile, tamen necessarium est, quae sint simplicis tenuisque rationis Terentianae, Caesarianae, et Ciceronianae in epistolis ac dialogis ueneres et in ipsa illa grata negligentia, quam Cicero vocat, artificia. His opinionibus imbutus in Scholam ueni, atque hunc explicandorum auctorum mihi modum statui, teneboque, dum uiuam. Quibus alia ratio placet, uideant, ut eam non posteritati, rerumque intelligentibus modo, sed his ipsis probent satis, qui ipsorum opera utuntur. Nam primo, nimio illo Phrasologiae studio efficiunt, ut raro probabilem aliquam scribendi facultatem adolecentes consequantur, et in phrasum flosculis omnem orationis elegantiam ponant, nihil de toto orationis habitu ad ueterum rationem conformando laborent, denique etiam in eam opinionem, qua nulla certior est summi paedagogici stuporis nota, ueniant, quasi nulla dicendi ratio recta putanda sit, nisi quae iisdem uerbis syllabisque apud probatissimos auctores reperiatur. Deinde uero haec explicandorum atque adeo legendorum auctorum ratio peperit nouam illam et prisca inauditam eloquentiam, quae non de ea re, quae dicendi occasionem dedit, sed de longe alia ex antiquitate aut interiori aliqua arte petita, et cum ea, de qua in primis agitur, nullo alio uinculo, nisi solemnibus illis formulis: *Sed ad rem ueniamus*; *Sed ut eo se uertat oratio* etc. coniuncta, dicere docet. Quae, si uera et probanda dicendi ratio est, poenitet me profecto eloquentiae Romanorum, Ciceronisque in primis, qui tam parum doctos se in orationibus aditibus, in gratiarum actionibus, aliisque generibus praebuere, ut nihil ex uetere historia, nihil ex antiquitate, nihil ex subtili alicuius artis disciplina attulerint, sed uince id egerint, ut, quae res eos ad dicendum impulisset, in ea ornanda

ela-



elaborarent. Nunquam profecto mihi persuaderi sinam, qui multos annos in veterum lectione consumsit ita, ut eorum pulcritudinem, elegantiam, et omnem in dicendo artem assécutus sit, eum non posse de quacunque re ad dicendum proposita mediocre temporis spatium ita dicere, ut audientes tenere, et ingenii eloquentiaeque aliquam laudem ferre possit. Me profecto puderet, tot annos literis humanioribus operam dedisse, poeniteret nomen eloquentiae vnquam vsurpassé, aut eius praecepta aliis tradidisse, nisi horulam possem de quacunque re, nulla assumpta aliena materia, probabiliter dicere. Sed scilicet hic quoque aliquid forte consuetudini, quae plerisque sacrosancta habetur, tribuendum est, neque frustra aduersus torrentis impetum nitendum. Quare, quemadmodum, qui plebi placere concionatores volunt, necessario Lankisianis, Mahnianisque riuulis prata sua irrigant; ita sapientibus etiam hominibus licebit, si locus ita postulauerit, erudita ista eloquentia uti. Sed his ego magnopere suaderem, ut, quod ego, si ita dicendum esset, facerem, ipsi quoque facerent, et, quod Crassus, cum petens magistratum Scaeuolam vidisset, facere solebat, si quem doctiorem et verae eloquentiae peritum adesse viderent, eum a se dimitterent, atque ei ita dicerent: *Se velle esse ineptos*, id est, dicere ex consuetudine, quod, nisi inepte fieret, bene non posset fieri.* At quoniam paucissimi publice dicendi occasionem nanciscuntur, tolerabile poterat, quod detrimentum eloquentia ex hac peruersa auctorum lectione capit, videri; nunc cum ad omne dicendi scribendique genus corrumpendum valeat, omnibus, qui elegantiam ingenii amant, detestabilis iure meritoque videbitur. Quam enim aliam causam esse putem, quare non adolescentes modo, sed etiam, qui humanitatis magistros se profitentur, in epistolis scribendis, in gratulando, in gratiis agendis, in petendo, in omnium priuatim tum publice compellandi genere, tam inuenusti, tam ieiuni reperiantur, ut, si, quae latine dicunt, germanice dicerent, nulla ex infima plebe ancilla foret, quae idem dicere ac eodem modo non posset; ut serui mehercule et meretrices Terentii ceterorumque Comicoꝝ plus ingenii, plus

B 2. ubi in arguitur verba-

* Cic. de Orator. lib. I. num. 112.



urbanitatis leporisque in compellendi modo ostendant. Illud porro nonne inde proficisci dicam, quod multi, cum laetitiae dolorisque significationem edere volunt, cum annum feliciter circumactum, novos honores, restitutam valetudinem, et quae reliqua bona inter homines putantur, gratulari, aut alia officiorum genera peragere suscipiunt, ab omni ingenii et humanitatis ope ita se destitutos sentiunt, ut tanquam supplices ad veterum templa, aras et statuas confugiant, a veteribus incipiant, in veteribus desinant, atque nihilominus, quod intolerabile est, in illa sua mendicitate superbiant. Audio quosdam conqueri, quod adolescentes plerique, tanquam implumes nidum aues, ita scholas deserant, neque postea literas humaniores docentibus operam dent ullam. Quibus, si ostendere poterunt, fastidiri et contemni, qui, uti nos volumus, auctores explicant, me ipse adiungam; si phraseologiae magistri et antiquitatis inepti iactatores contemnuntur, laudandam potius generosam adolescentum indolem putabo, quae, quorum per reliquam vitam uniuersam aut exiguus, aut nullus usus est, iis diutius immorari nolit.

Quae de intereuntium humaniorum literarum causis ab ipsis earum magistris imperitisque cultoribus arcessendis, dixi, non dubito, quin grata futura sint his e Philosophorum ratione, qui, quoniam harum literarum rudes sunt, eas facile contemnunt, et tum demum sibi acuti videntur, ubi in Grammaticos et Criticos dictoria iacere possunt, quae mulierculis forte quibusdam aliisque imperitis hominibus risum mouent. Quare ne horum animos spiritusque augeam, age, breuiter, quid noua Philosophia literis nostris nocuerit, et adhuc noceat, dicamus: non quo ipsam Philosophiam perniciosam aut contemnendam putem, qui plus temporis diligentiaeque, ac sine periculo meo fieri poterat, in ea ipse olim collocaui, neque vereor, ne eius me aliquando poeniteat; sed quod eam docendae illius discendaeque rationem, eum modum adhiberi video, a quo non potest non multum in literas humaniores mali redundare. Nam primum, ab illo tempore, quo Aristotelis apud nos concussa est et labefactata auctoritas, e Philosophorum scholis sensim exulare iussa est latina lingua, et docendo scribendoque id agi coeptum totis



tis viribus, vt Philosophia comparatur eiusmodi, quae et in muliercularum otiosarum circulis se iactare, ac in culina quoque regnare possit. Ea res facit, vt et qui in Academiis sunt adulescentes, et qui scholarum adhuc terunt subfella, facile sibi persuadeant, non esse magnopere ad eruditionem latina lingua, atque adeo veterum auctorum lectione opus, ex qua nihil, nisi aliqua latine dicendi scribendique facultas, comparari queat. Deinde vero, qui latine de Philosophia scribere susceperunt, nouo plane scribendi genere, et Scholastico illi facile dubiam reddente palmam, vti coeperunt, quod heri aut nudius tertius apud Bilidulgeridanos, Monomotapensesue natum videtur, aut, quoniam aegre ferri audio, si quis de Philosophia latine scribere ausus est, data opera fictum et ad summam barbariei absolutionem conformatum. Huiusmodi librorum lectio, quod multis exemplis confirmare possem, ex adolescentum animis, quicquid e scholis in Academiis attulerunt, eiicit sensim, et eorum vel memoriam tandem obliterat. Denique hic ipse ante hos quasi quindecim annos natus philosophandi modus magnam bonis literis calamitatem attulit. Nam cum, exortis illis de noua Philosophia controuersis, solennem Mathematicis docendi scribendique ordinem inuidendis efferri laudibus audissent, qui, initiis certis et perspicuis constitutis, reliqua inde omnia necessaria quadam consecutione arcessit; repente magna magnorum demonstratorum seges inhorruit, qui omnes artes et disciplinas, quamuis reluctantes, eius ordinis legibus adstringere susceperunt, ut non dubitem, quin *orbis pictus*, et *Schmidii Grammatica*, et *Iulii Caesaris* aliorumque *Commentarii* aliquando Methodo mathematica prodituri sint, quandoquidem exorti sunt, qui, v. c. de Schua mobili Ebraeorum, ad huius ordinis leges scripsere, et ex eiusdem regulis nobis demonstrarunt, *posse fieri versionem accuratam, Iudaeis et gentilibus diuersis linguis reuelationem factam esse, tempore Christi linguam Graecam vsitatissimam fuisse*, atque alia eiusmodi. Nisi vehementer fallor, huic nationi ab illa controuersia philosophica accidit, quod Abderitis aliquando accidisse apud Lucianum * traditur. Apud hos celebris Tra-

* De scr. hist. Tom. I. p. 600. edit. Graeu.



goedus Archelaus media aestate, cum caletur maxime, Euripidis Andromedam egerat. Quae res fecerat, ut Abderitae cum eodem tempore graui febrī corripentur, omnes in isto febrili furore tragici subito euaderent. Huius itaque Philosophiae dulcedine capti et irretiti, atque hac demonstrandi libidine abrepti iuuenes, omnia reliqua, atque inprimis humiles Grammaticorum in verbis, syllabis ac singulis literis vnice occupatas artes magnifice despiciere, omnes vires suas, omnem operam ad grauiorum rerum demonstrationes cum percipiendas tum excogitandas conferre coeperunt, et magnus eorum numerus exstitit, qui tanquam Poëtae gemino Troianum bellum exorsi ab ovo, illa a duobus principiis repugnantiae et rationis sufficientis per omnem Metaphysicam ducta cantilena obtunderent homines et enecarent; quod genus de Philosophia scriptorum *Cyclicos* forte appellare licebit, neque minori odio prosequi, quam olim Callimachus, Horatius, ac quisquis ingenii elegantiam amabat, Poëtas Cyclicos.*

Plura in hanc rem dicere possemus, si locus pateretur. Ex his autem, quae diximus, illud etiam facile intelligent omnes, quibus, de studiis tractandis opinionibus adolescentes a nobis imbuantur, et quam sedulo opera detur, ut eos contra pestilentes literarum studiis opiniones, quibus multi nunc transuersi rapiuntur, in tempore muniamus. Soleo inter cetera etiam Philosophiae historiam, quae, si Facciolatus* aliquid vidit, adolescentibus magis ac ipsa Philosophia conuenit, studiose commendare, cum propter alias utilitates, tum, quod non facile patitur homines ab humanitatis studiis plane abduci, et ad intelligendos veteres auctores multum prodest. Itaque etiam in extemporalibus illis stili exercitationibus, quae apud nos his singulis hebdomadibus instituuntur, prima elementa eius historiae, quantum inprimis legentes Ciceronem et Senecam ceterosque
lati-

* Pollianus in Anthologia libr. III. n.

Τὸς κυκλίους τῆτες, τὸς αὐτὰρ, ἔπειτα, λέγοντας
μισῶ, κωπηδύτας ἀλλοτρίων ἐπέων.

** Orat. ad Philosophiam.



latinos auctores iuuare potest, tradidi. Eandem ob causam cum a quibusdam disciplinae nostrae alumnis a nobis discessuris, pro more, oratiunculae habendae essent, ipsos, de *commodis ex historia philosophica capiendis* dicere iussi. Dicent igitur hi:

GOTTFRIDVS THEODORVS KRAVSE,
Herzbergenfis,

IOANNES ANDREAS KOEPPING,
Grosbothena - Misnicus,

CHRISTIAN. GOTTFRIDVS HOFMANN,
Nebra - Thuringus,

IOANNES AVGVSTVS LANDVOIGT,
Lipsiensis,

DAVID DIEZE,
Loebena - Misnicus,

THEOPHILVS IACOBVS HAVSIUS,
Soelchauiensis - Misnicus.

Quos si, cui commodum est, audire voluerit, non ipsos modo, sed me etiam magno beneficio obstringet. Itaque eos, qui scholae nostrae atque adeo literis nostris fauent, vt frequentes cras hor. IX. adsint, cum ipsorum, tum meo nomine, vehementer rogatos volo. Scr. e Schola Thomana d. XIX. Apr. c1o 1o cc xxxvi.



latinos auctores in
a quibusdam disci
more, oratiuncula
ria philosophica ca

GOTTFRI

Herzbe

IOANNES

Grosbe

CHRISTIA

Nebra

IOANNES

Lipfiet

DAVID D

Loebe


THEOPHI

Soelch

Quos si, cui com
fed me etiam r
scholae nostrae a
cras hor. IX. adf
menter rogatos
cIo Io cc xxxv

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale



15
ufflam cum
ffuris, pro
lis ex histo
hi:

SE,

ANN,

GT,

S,

ofos modo,
e eos, qui
frequentes
ine, vehe
XIX. Apr.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly a header or title.

COPIED BY THE NATIONAL ARCHIVES

JOHN F. BISHOP'S REPORT

CHRISTIANITY IN THE SOUTH

JOHN F. BISHOP'S REPORT

DAVID BISHOP

THE SOUTH AND THE NORTH

On the other hand, it is true that the South has been the scene of a great deal of progress in the past few years. The people of the South are becoming more and more educated and more and more enlightened. They are beginning to see the error of their ways and to strive for a better and more just society. This is a great step forward and it is to be hoped that it will lead to a more harmonious and peaceful South in the future.

1850

1850